

abscondita et incognita¹, sonabitque in populo: 'Vivit' et 'Non vivit'.

Exinde veniet aquila altera, habens capita duo, pedes XXXIII^{or}. Cuius pectus quasi ursi et cauda sicut pardi; et sibilabunt duo capita, sed in Eneaden² minime, et ad crescent ei tria capita, non sibilabunt. Eritque minori sibilo rostroque fortiori. Et dabitur ei gallina una orientalis et iterum eoa³ septemque pulli. Hic erit in insidiis sponse agni, depauperans cultum eius⁴. Eruntque sponse simul tres adulteri unusque legitimus et in cantu debili, unus adulter reliquos devorabit, habens tria nomina blasphemie; cuius cantus abhominatio, donec pes unus et sex digiti mensurentur. Finis adulteri interitus et cantus galli optimi, fietque⁵ restauratio. Porro medium caput Ligurum denigrabit, donec novem digiti mensurentur, leo orientalis rugiat, yrcus leonem abigat⁶; membra iungentur capiti, fietque⁷ restauratio.

Erit autem leo ab oriente veniens, habens caput unum et pedes XLV, de regali prosapia, affectus macie, habens catulos novem et leenam luxuriosissimam, plenam mendaciis et nominibus blasphemie. Hic subito ex cavernis terre congregans profugos irruet⁸ in aquilam associantem sibi yrcum fortissimum bicipitem et devorabit ex pullis⁹ V, et remanebit unus, et unum caput conteret aquile partemque maioris imponet sibi. Eritque aquila advocans subsidium yrci, qui irruet¹⁰ in leonem, et erit effusio sanguinis terribilis. Duo ex leonis catulis¹¹ vorabuntur. Abigetur¹² leo, leenam yrcus obtinens¹³ calvatam restituet, quousque pes unus et tres digiti mensurentur. Ab aquilone et oriente subsidium¹⁴ veniet, yrcus truncabitur, duo capita eius leo possideat, et aquila abigatur¹⁵. Hinc aquila duos unicornes occidentis¹⁶ fortissimos adducet in subsidium, bellum fiet fortissimum, abigetur¹⁷ leo, yrci tamen capita possidebit. Hinc aquila morietur, et leo restaurabitur, eoam gallinam obtinebit ac cum obprobrio restituet.

1) 'et incogn.' fehlt in der Exp. maior wie im ursprünglichen Text, in der „Exp. minor stehen diese Worte nicht. 2) 'eneadē' V (P?). 3) 'una VCCque pulli' V. 4) Dieser Satz, der im ursprünglichen Text fehlt, ist aus dem Abschnitt über Friedrich II. wiederholt. 5) 'fioque' V. 6) 'ambigat' V. 7) 'fiet' P. 8) 'irrietque' V. 9) 'ex pullis' fehlt P. 10) 'in leonem ruet' P. 11) 'aquilis' hinzugesetzt P. 12) 'Ambigetur' P; 'Debigetur' P. 13) 'optinens' V. 14) 'subscidium' V hier und unten. 15) 'aquila abigatur' V. 16) 'ab occidente' P. 17) 'ambigetur' V.